

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

Tit. XXII. De Literarum Obligationibus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

## TIT. XXII.

*De Literarum Obligationibus.*

**O**LIM scriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodie non sunt in usu. Plane, si quis debere se scripserit, quod ei numeratum non est: de pecunia minime numerata, post multum temporis exceptionem opponere non potest: hoc enim sæpissime constitutum est. Sic fit, ut hodie, dum queri non potest, scriptura obligetur: & ex ea nascatur condictio, cessante scilicet verborum obligatione. Multum autem tempus in hac exceptione antea quidem ex Principalibus Constitutionibus usque ad quinquennium procedebat: sed ne creditores diutius possint suis pecuniis forsitan defraudari, per Constitutionem Nostram tempus coarctatum est, ut *C. d. non numer. pec.* ultra biennii metas hujusmodi exceptio minime extendatur.

## I.

**L**iterarum obligatio s. contractus chirographarius est contractus literalis nominatus, stricti Juris, quo quis *spe futurae numerationis fateatur se pecuniam accepisse, eamque se restitutum promittit.* §. UN. J. b.

II. *Literarum obligatio parit, ratione Creditoris, conductionem certi ex literis, sive ex Chirographo, quæ est personalis stricti juris & competit creditori, cui a debitore spe futurae numerationis, vel dationis Chirographum datum est, adversus debitorem, ut id, quod in eo se accepisse confessus est & restitutum se esse promissit, restituat.* d. §. UN. l. 14. *C. d. non numer. pec.* cui adhuc hodie locus est. Respectu debitoris autem



non numeratæ pecuniæ (1) querelam, quæ datur omnibus Debitoribus, qui numerationem pecuniæ vel dationem in scriptura confessi sunt, sed eam non acceperunt, adversus creditores, quibus datum est Chirographum, ad hoc, ut ipsi numerationem vel dationem intra biennium probent. l. 10. l. 14 C. d. non num. pec. cui adhuc hodie locus est. (2) exceptionem, hæc est vel privilegiata & a debitore ex Chirographo obligato Creditori intra biennium opponitur, creditoremque necessitate probandi numerationem s. dationem onerat. l. 3. l. 10. C. d. non num. pec. j. l. 24. que in fraud. cred. (a) etiam hodie, vel non privilegiata & a debitore ex Chirographo obligato Creditori post biennium opponitur, debitorique necessitatem probandi non factam numerationem imponit. a. l. 3. l. 10 C. d. non numer. pec. j. C. 61. d. R. J. 6. l. 5. C. d. Except.

III. Contractus chirographarius pro affini agnoscit apocham eine Quittung, in qua facta est a creditore confessio solutionis debiti spe futuræ numerationis, atque hæc producit querelam vel exceptionem non numeratæ pecuniæ adversus Apocham, qua is, qui in apocha solutionem confessus est, quam non accepit, intra 30. dies eum, cui apocham dedit, necessitate probandi numerationem s. dationem onerat. L. 14. §. 2. C. d. non num. pec. (b)

(a) Jus Civile vigilantibus scriptum est. l. 24. ff. que in fraud. Cred.

(b) Querela & exceptio non numeratæ pecuniæ adversus apocham 30. diebus præscribitur. l. 14. §. 2. C. d. non num. pec.



## TIT. XXIII.

*De Obligationibus ex Consensu.*

*Hic totus tit. ex l. 2. de obl. & act.* **C**onsensu fiunt obligationes in emptionibus venditionibus, locationibus conductionibus, societatibus, mandatis. Ideo autem istis modis obligatio dicitur consensu contrahi: quia neque scriptura, neque presentia omnimodo opus est: ac nec dari quicquam necesse est, ut substantiam capiat obligatio; sed sufficit, eos, qui negotia gerunt, consentire, unde inter absentes quoque talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam, vel per nuncium. Item in his contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet: cum alioquin in verborum obligationibus alius stipuletur, alius promittat.

## I.

**C**ontractus consensualis (1) est, qui solo nudoque consensu perficitur, unde neque scriptura neque verbis, neque datione opus est, ut substantiam capiat obligatio. §. *UN. J. b.* (2) inter absentes quoque celebratur veluti per nuncium, epistolam d. §. *un.* atque tum ibi esse creditur locus contractus, ubi Consensus mutuus conjungitur. *a. l. 21 ff. d. O. & A. uti pron. F. J. L. M. Jan. 719.* (3) obligat utramque contrahentium partem, & est bonæ fidei. d. §. *UN. j. §. 28. J. d. act.*

## TIT. XXIV.

*De Emptione & Venditione.*

*De emptione pura. De pretii conventionione, arrhis, & scriptura.*

**E**mptio & venditio contrahitur, simul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium nume-